



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et  
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

**Bidermann, Jakob**

**Antuerpiae, 1635**

In Italiâ. Cap. IV.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5**

carcinoma sublatum. Femina eius rei indicium appendit argentum, in mamillæ speciem factum, largeque inauratum. Nec ingratus Medico maritus, de telâ argenteâ peristroma dedicauit.

23. Oriëntia postremò Casalia vterum ferebat, sed infelix nec partum (quippe iam ante incunabula emortuum) nec vitam sperare ausa; ad syngrapham IGNATII contactam, præmaturum funus eiecit; ipsa incolumis euasit.

IGNATII *miracula per reliquam Italiam facta.* CAP. IV.

24. **D**VM hæc interim Romæ geruntur, reliquam Italiam paribus miraculis IGNATIVS compleuit. In agro Lauretano sexennem puerum Medici in morbo deposuerant: cui de amiculo IGNATII centones iniecti, precesque pro eo susceptæ, medicam artē vicerunt. Quippe cœpit ocyus valescere puer, planeque à funere, quod timebatur, reuixit.

25. Ibi -

25. Ibidem vir nobilis Horatius Leopardus, per eiusdē anni Octobrem, dyfuriā, & cruciatu nephritico miserè torquebatur; vt nihil remedij videretur iam superare. In eo statu supplex Matrem virginem sollicitat, vti ob IGNATII merita, desperato opituletur; simul ipsum IGNATIVM, vt sibi patrocinetur, implorat. Non intercessit dici momentum, &, ecce tibi, dolor vndique remittere: & aquam Horatius petere, & sabuli vberem copiam fundere, lapidumq; fragmina incepit moliri. Quibus omnibus egestis, facilè deinde ex morbo conualuit.

26. Eodem & tempore & loco Leucadia, Pompeij Georgij vxor, mensibus quinque perpetuis cum difficili ægritudine conflictabatur. Inter ceteras pestes vehemens illam cordis palpitatio vrgebat. Sed omnem hanc dolorum aciem, amiculi lacinia, quā IGNATIVS vtī fueuerat, primo statim contactu exanimauit.

27. Hæc

ian  
gu  
rat  
me  
tuis  
Mi  
ste  
pro  
ten  
ber  
liur  
Na  
qua  
tē i  
2  
Ma  
cū  
spe  
tit  
con  
hen  
me  
2  
mer  
næ  
fuit.

27. Hæc ipsa Leucadia nonum iam mensem grauida, libras sanguinis viginti de corpore profuderat. Inde viribus, & ipsis propemodum sensibus defecta, quo potuit pacto S. IGNATIVM inuitat. Mirum creditu! confestim subsistere sanguis, & illa ad se redire, prorsumque reuiuiscere. Tum autem in enixu cum natura succumberet, è cælo idem perstitit auxilium vocare; idemque impetrauit. Nam edito per indolentiam fætu, quamquam eo extincto, ipsa certè incolumis euasit.

28. Matronæ cuidam Isabellæ, Maceratensis Antistitis propinquæ, cum animam ageret, nihilque vitæ sperari iam posset, inopinato adstitit IGNATIVS; eamque breuî conualiturâ pollicitus, manuprehendit; lectuloque surgere, & DEO memores iussit gratias habere.

29. Paullò ante hanc Iunius mensis Ioannæ Arragoniæ, femine Principi, propemodū funestus fuit. Hæc Neapoli diu omnium

M

Medi-

Medicorum ingenijs fatigatis, totos quatuor menses actum egerat: iamq; acerbissimis doloribus, intumescente mamillâ, neque ars mederi, nec natura quibat. Igitur salubriori consilio, iussit humanam opem valere, seseque ad IGNATIUM precâdum recepit. Et mox eius imagine (quam à matre acceperat) pupillis impositâ, affecto corpori consuluit. Quippe nō dies, non nox intercessit; cum resedisse tumorem, & valere mamillam persensit. Quæ anno deinde sæculari Romam profecta, grati animi tabulam argenteam, cum quattuor cereis ad eius sepulchrū deposuit.

30. Mense Nouembri Franciscus Blasius, vir Nolæ nobilis, quod præter grauissimas capitis & ventriculi iniurias, feбри pestilente vretur, metum imminentis periculi Medicis incusserat. Quē Zenobia Tolfia mater hortata est, capiti ægro Lipsana IGNATIANI cineris iniiceret; eiusque patroni subsidium postularet. Paruit monenti  
Blas-

Blasius, seque facili momento omnibus morbi incommodis exemit.

31. Lecci, in prouinciâ Apuliâ, pleuritis cum acutissimo sensu ancillam inceserat, cui Patientia nomen, & liberalis apud Antoniam Cubellam seruitus erat. Iam propè ceu morituræ funebria parari coepta, cum IGNATII, quas dixi, Reliquiæ inferuntur. At illa mox sopore corripitur, pertinaci prius infomniâ vexatâ. Ibi per quietem IGNATIVS ei coram adstitit, sacerdotali ornatu cõspicius, &, *Filia, inquit, fide DEO, conualuisti.* Inter quæ verba comperit femina ægritudine se morboq; defunctam.

32. Ibidem improuida nutrix alumnulum sibi sinu excidere passa, graue puerulo nocumentum attulerat, quod deinde ipso rei silentio detrimentosius factum; metuente, si casum proderet, ancillâ. Crus quippe dexteri pedis vitium fecerat. Quo denique patefacto, necesse habuit pater (is dynasta Beglibonis erat) ex Medicorum

consilio aliquoties pueruli genu incidere. Quod cum iteratò tentatum absque profectu fuisset, iamque tertiam lanienam indicerent chirurgi; pater spectaculi impatiens, quòd trimulum infantem à vulneris febrisque acerbitate deficere sentiebat, & mox peiorum metuens, recurrit ad Societatis Collegium, quodque de ossibus IGNATII fragmentum impetrauit, id festinus super infantem deponit. Sub hæc redeunt Medici, facturi in ægrum, quod fuerant minati. Sed reperiunt in eo statu puerum, qui sectione iam non egeret. Et ostendit exiguo post intervallo puer se sospitem esse.

35. Turci piraticam factitantes, Natalem Masuccum, de nostra familia Sacerdotem, ac fortè in Siciliam transmittentem, interceperant. Ibi atrox non diu post tempestas exorta, quam euasurum se non crederet, vocare opem IGNATII subigebat. Extemplò vocem accipit: ne quàm dubitaret; naufragio

gio enim haud periturum, neque verò ad Turcorum inhospitalem barbariem peruenturum. Fregit proinde se tempestas, & nauigium ad Insulam Lampadusam intercepte Christiani. Ibi Pater iam vno discrimine defunctus, alterum quoque discussit; cum, IGNATIO patrocicante, vitam libertatemque conseruauit.

34. Panormi Cosmus est Ferrerus, Medici haud incelebris filius: quem trimum adhuc infantem gemina lues, febris ac dysenteria vexabant, parente iam ipso in filij funus spectante. Fortè quædam ibi lacinia erat de sacrâ veste, quæ IGNATIUM olim in sacris operuerat. Hanc desperato admouet. Quod simul ac factum est, puer à funere cœpit reuerti; illoque adhuc die inter omnium læticias mirabiliter conualuit.

35. Anno post sæcularem proximo, vrbs Florentia nocturno incendio periclitata est. Corripuerat ædes aliquot pertinax flamma; &



ventis adspirantibus adiuta, longè lateque furebat. Iamque Donati Galligai tectis se superfuderat, excidium minata. Et pater quidem familias, ut ignem diuerneret, nihil industriæ humanæ omittebat: sed quantæcumque hominum vires, elemento dominantî concessere. Igitur in genua submissus, res spesque suas IGNATIO Xauerioque commendat. Vix commendarat, iamque ambo Cælites ante ora Donati formâ conspicuâ adstiterè; hominemque IGNATIVS præsertim animo bono esse iubet. Cuius voce confirmatus ille, tectum exsuperat, socios in restinguendo incendio adiuturus. Sed ibi momento temporis, vniuersam ventorum rabiem posuisse, flammamque vidit, viribus occultis inhibitam, resedisse.

36. Anno eodem cum Petrus Ioannes Cotius, quadrimulus infans, à dysenteriâ simul & febri malè habitus, pro mortuo apud suos Gandiæ comploraretur, votum

tum à consanguinea nuncupatur, si conualesceret puer, vt omne choragium funebre, quod morituro iam parabatur, ante IGNATII imaginem continuo suspenderetur: ipse autem togulâ vesteque per annum vteretur, quali Societas consuevit. Res visu dictuque mira! Eadem adhuc nocte valuit integre puer, dieque postero vagatus per plateas, cum æqualibus currit.

37. Neapoli, anno post millesimum sexcentimum quinto, Hieronymum Magium, virum nobilem, febris quædam continua miserè depascebat: ac ne malo simplici conflictaretur, simul ab asthma fractus, & ab aquâ intercute corpus omne grauiter laborabat. Quid multa? Ea ægro facies erat, vt plus triduum esse victurum, Medici negarent. In re desperata IGNATIO supplicatur, & eiusdem Lipsana quædam ex collo suspenduntur. Hic, ecce tibi! insperato mutari omnia; & Hieronymus ter-

tiâ post horâ sic omnino valescere, vt morbi prioris indicium in corpore toto nullum porrò vquam appareret.

IGNATII *miracula per Hispanias edita.* CAP. V.

38. CETERVM quæ per terras Hispanias eo tempore patrata sunt miracula, hæc fermè accepimus. Toleti sub annum M. D. LXX. aut LXXI. (nam id incertum habeo) Vegam, hoc nomine mulierẽ, atrox adorta pleuritis, paulò ante noctis crepusculum deiecit. Medici acciti, repentino & vehementi malo terrentur; reque perpensâ, feuerè pronuntiant. Iubent eâ ipsâ nocte Sacris animum procurare, ac testamentum condere: nam die postero haud victuram. Adest fortè, auditque decretorium consultum, vir honesti nominis, Ioannes Messa: qui DEVM ritè precatus, applicat compuncto lateri modicam telæ tramam de vittâ IGNATII noctur-